

Anno Domini millesimo ducesimo septuagesimo quarto, octavo kalendas octobris. Cum reverendus dominus frater Berengarius de Almenara, castellanus Emposte, esset // apud Sanctum Matheum presentialiter constitutus, comparuerunt coram ipso Dominicus Narbones, Petrus Galia, jurati, A. Mercer, Bernardus Tallaferre, Bernardus de Angularia, G de For // nellis, A Forner, P. Columbi, F. Seguarra, A. Balaguer, Bernardus Roy, Roger Focentes, vaquerius, Bernardus Guitart, et alii probi homines dicti loci requirentes cum instantia // et humiliter suplicantes ut cum ipsi essent populati in quibusdam casibus ad consuetudinen llerde, et in quibusdam servarent foros Valentie ac in pluribus casibus di // versos usus tenerent. Quod ipse deberet eis dare certas consuetudines et assignare usus et mores, secundum quos de cetero ipsi nec non et alii populatores presentes et futuri, // termini Cervarie regerentur. Unde dictus dominus castellanus eorum precibus inclinatus, de consensu fratrum inferius scriptorum duxit taliter providendum. In // primis, nos predictus frater Berengarius de Almenara, humilis castellanus Emposte de assensu et voluntate fratris Petri de Pulcrovicino, comendatoris Cervarie de Frontaria, // et fratris Petri de Fonoleto, et fratris Guillermi de Sarriano, et fratris Iacobi de Gualter, capelláni nostri, confirmamus vobis universis habitatoribus ville et termini supradicti // et successoribus vestris instrumenta priora acquisitionis cum locus Sancti Mathei fuit datus ad populandum.

Volumus etiam quod tam in causis quam in iusticiis et caloniis, // ponderibus et mensuris, pannis et vini, pannorum linis et lane, et omnium aliorum, sitis iudicati et ducti ad consuetudinem llerdemsis, et usus scriptos et non scriptos // sicut cives et alii habitatores civitatis et termini llerde utuntur et reguntur ad bonum intellectum vestrum et successorum vestrorum.

Retinemus preterea in hac // concessione et confirmatione nobis et fratribus Hospitalis, presentibus et futuris, omnia que retenta fuerunt in alia donatione facta vobis tempore populationis // per H. de Fullalquer, condam Castellani Emposte, et in alia carta facta vobis per fratrem Bernardum de Salanova, vicecastellanum Emposte. Salvamus etiam vobis instrumentum // factum per Gui de la Guespa super mensuratico, leuda et penso, laudimio, a quibus vos estis liberi. In dicta autem concessione non intelligimus mensurati // cum quantum ad homines termini Cervarie. Immo volumus quod dent mensuraticum ut consueverunt et laudimium ut tenentur. Retinemus et dominicaturas // nostras quas habemus in Sancto Matheo et in toto termino Cervarie, cum firma faticca, laudimio, et alia iura dominacionis sicut modo habemus et habere debemus. Item // retinemus quod iurati semper ponantur et mitantur de voluntate nostra vel comendatoris Cervarie qui pro tempore fuerit et proborum hominum cuiuslibet ville ter // mini Cervarie et confitemur pro hac concessione recepisse a vobis et habuisse mille solidos regalium Valencie et eos in utilitatem Hospitalis posuisse. Et ideo // renunciamus omni excepcioni non numerate pecunie et doli. Et nos predicti omnes et singuli qui hanc concessione liberaliter recipimus, promittimus omnia // predicta attenderé et complere.

Actum est hoc die et anno in prima linea contentis.

Sig [signo] num fratris Berengarius de Almenara, castellani. Sig [signo] num fratris P. // de Pulcrovicino, comendatoris. Sig [signo] num fratris P. De Fonoleto. Sig [signo] num fratris Guillermi de Sarriano. Sig [signo] num fratris Ja. de Gualter, predictorum // qui supradicta omnia concedimus et firmamus. //

Testes huius rei sunt Dominicus de Belltayll, rector ecclesie de Burriana. Guillermus de Montealbano. Berengarius Renart, rector ecclesie Sancti Mathei, // Salvador Rubei,. Arnaldus Ermengou,. P. Cortit. //

Sig [signo notarial] num Guillermi Taraschoni, notarii publici auctoritate domini regis Aragonum per totam iurisdictionem suam qui mandato dictorum domini cas // tellani et aliorum fratrum predictorum hec scripsit et clausit die et anno in prima linea contentis.